

cum in hoc mundo peregrini simus, mundi rebus non adhæramus, ejus negotiis plus quam par est nos non immisceamus, ac hoc mundo tamquam non utentes utamur. *Charissimi, ait Princeps Apostolorum (Ep. 1, 2), obsecro vos tamquam adversas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis.* Non immorandum in inquirendis iis que carni placent; non sistendum in hoc mundo, ut gulæ, et libidini satisfaciamus; a carnalibus, et perversi omnibus mundi desideriis abstinentum: *abstinere vos a carnalibus desideriis.* Pueri in plateis cum sociis ludentes, obliviscuntur ire quo missi erant: stultos similiter viatores reperire est, qui in cauponâ ludentes, aut in pratis flosculos colligentes, moras necunt, et quandoque eo obliviscuntur ire, quo tendebant: *stultus viator est, qui in itinere ancena prata conspicis, obliviscitur ire, quo tendebat* (S. Greg. ho. 14 in Ev.). Ne pueros illos, ne stultos hujusmodi imitemur viatores; terrenis hisce ne ita haereamus ut patriæ cœlestis, ad quam tendimus, obliviscamur. Ejus non obliviscetur Vates regius, dicens: *Si oblitus fuerit tui Jerusalem, oblivioni detur dextera mea* (Psal. 136, 5). Ejus non obliviscatur, quin contra ad eam anhelabat D. Paulus, qui exclamabat: *cupio dissolvi, et esse cum Christo* (Philip. 1). Recordemur et nos, suspiremus et nos, anhelemus et nos ad cœlestem patriam, ac cum propheta regio dicamus: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est:* vel cum D. Augustino clamemus: *O patria nostra, patria secura! a longe te videmus, ab hoc mari te salutamus, ab hac valle ad te suspiramus;* optemus eam, suspiremus ad illam, terrenis contemptis ad illam tendamus. Vita nostra *somniam est*, ne tanti eam faciamus: vita nostra *comœdia est*, ne ei tam fortiter adhæreamus; sed ad eternam suspiremus, ad quam nos ducant. Pater, Filius et Spiritus Sanctus. *Amen.*

DOMINICA SECUNDA.

DE PARADISI BONIS.

Domine, bonum est nos hic esse (Matth. 17, 4).

Errant cœci peccatores, qui in transitoriis mundi voluntatibus tabernaculum figentes, in iis immorari et conquiescere cupiunt; ac coelestium obliti in hoc mundo diu et quasi in aeternum vivere concupiscent, intra se dicentes: *bonum est nos hic esse.* Ut enim ait S. Bernardus (Ser. 6, de Ascens.): « non est bonum in hoc mundo esse: imo vero molestum est, grave est, periculosum est. Nimirum ubi malitia plurimum, sapientiae modicum, si tamen vel modicum inventitur; ubi viscossa omnia, omnia lubrica, operta tenebris, obsessa laqueis peccatorum; ubi periclitantur animæ, ubi spiritus affliguntur, ubi tantum vanitas et afflictio spiritus est ». Non optandum quidem diu in hoc mundo vivere, ubi tot criminæ, tot miseriae, totque pericula; ad coelum, ubi omnium est libertas honorum, cuncta nostra dirigenda sunt vota, cunctique sunt affectus inclinandi. Etiamsi in hoc mundo spiritualibus etiam multis fruamur deliciis: etiamsi ipsum Christum transfiguratum, et gloria ineffabiliter radiantem videamus; cum Petro tamen dicere non licet: *bonum est nos hic esse.* Minime quidem hujus mundi bonis adhaerendum, verum ad cœlestia anhelandum; quorum comparatione cuncta que in hoc mundo degustamus bona, sive spiritualia illa sunt, sive corporea, stilla sunt, pulvis sunt, nihil sunt. Ut ad cœlestia bona appetenda quisque aliciatur qua et qualia illa sint, jam explicare pertentabimus, eo saltem modo quo explicari possunt ab infirmo oratore. *Ave.*

Hujus mundi bona parva, mixta et transitoria sunt. *Parva* quidem sunt; et licet ab hominibus plurimi aestimerentur, ambiantur et summo affectu inquirantur a Deo tamen, ab An-

gelis, a celestibus civibus, neconon a multis in sœculo viventibus pro nihilo reputantur. *Mixta* sunt bona temporalia, ac doloribus, anxietatibus, tribulationibus et innumeris angustiis permixta. Nec enim aliquis in hoc mundo tot bonis, tanquam felicitate gaudet, qui aliquid mali et sinistri non patiatur: imo qui multa adversa et sinistra non perferat. *Transitoria* tandem sunt hujus mundi bona: non enim diu possidentur, at velut umbra fugax transeunt, et velut fumus evanescent: ipsaque procul dubio citissime relinquentur, vel ab iis relinquitur. O quam contemptibilia sunt mundi istius bona! Quam optabilia illa quibus nunc sancti fruuntur in celo! Amabilia quidem, et plurimum optabilia sunt ista bona, quia non parva, sed magna; non mixta, sed pura; non transitoria, sed æterna sunt. Paradisi bona: 1. magna sunt: 2. pura sunt: 3. æterna sunt. En qualia sint coeli bona; et en urgentissima tria motiva, quibus ad illa ardenter appetenda quisque allici debet.

I PARS.

Paradisi bona sunt magna.

Paradisus est Dei domus, qua nulla pulchrior, nulla dition, nulla jucundior, amplior nulla: *O Israël, quam magna est dominus Domini, et ingens locus possessionis ejus!* (Baruc. 1, 14). Magna est domus illa, in qua Rex residet, cuius potentia terminos nescit, cuius magnitudo mensuram non habet, cuius prudentialia ad omnia se extendit, cuius divitiae sunt inexhaustæ, cuius vita immortalis, cuius pulchritudo semper amabilis. Magna illa domus, ubi muri ex auro purissimo fabricati sunt, ubi pretiosissima pedibus calcantur margaritæ, ubi columnæ ex limpidissimo erectæ sunt crystallo, ubi continuæ, isque gratissimus audiatur laudis et gratiarum actionis concentus. Magna tandem illa domus, et in ea omnia magna: magnus ibi Deus, et laudabilis nimis; magni ibi domestici, et celestis hujus habitationis inquiline: magna sunt bona, quæ Deus ibi sanctis suis communicat.

Magna dico, et quam magna sint haec bona, quæ Deus in celo amicis suis confert, explicare nec ego nec alijs quisquam valet. Excedunt vires meas, excedunt facultatem eloquentiae meæ, transcendunt capacitatem intelligentiae meæ infinita illa bona quæ præparavit Deus diligenteribus se. Nec mirum, si illa non concipiatur: cum nec oculus viderit, nec auris audiverit, nec in cor hominis etiam comprehensoris ascenderit, quanta sint bona quæ Deus sanctis suis in celo communicat: *Non solum cor hominis viatoris, sed nec etiam comprehensoris, aut aliqui Angelii, potest, aut poterit illud bonum infinitum, et gaudium nobis paratum, et oblatum comprehendere* (Bonavent. *Stim. amor.* 3, 20). Licet autem quam magna sint paradisi bona concipere minima valeamus, ea tamen magna et maxima esse, ex sacra Scripturae verbis, ex sanctorum Patrum oraculis, et ex variis, isisque urgenterissimi conjecturis facile auspicamur. Et ut ex innumeris, quæ hac de re afferrant possent, aliqua colligam, ab Isaiae prophetæ testimonio incipiam, a quo maximam coelestium bonorum desumo ideam, cum illum audio dicentem, quod Deus in celo solummodo sit magnificus: *solummodo ibi magnificus est Dominus noster* (33, 21). Scimus, eum magnificum fuisse, cum in hominum gratiam, cœlum, terram, mare, volucres coeli, pisces maris, et omnia creatura condidit: fuit etiam magnificus, cum ut hominem salvum faceret, gratias suas, Sacramenta sua, proprium sanguinem, et totum semetipsum tradidit: fuit tandem supra modum magnificus, cum sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum instituit, ut cum hominibus usque ad consumationem seculi in hoc mundo maneret, seque illis in eibum perpetuum daret. Quasi vero haec omnia parva sint respectu bonorum quæ sanctis suis in paradyso communicant, eum solummodo in celo magnificum dicit Isaïas: *solummodo ibi magnificus est Dominus noster*. Magnam hanc Dei in celo magnificantiam, summaque bona quæ ibi sanctis suis confert, indicat D. Paulus, cum eos ibi reges futuros, et cum Christo Salvatore regnatores asserit, dicens: *si sustinebimus, et conregabimus* (2. Tim. 2, 12). Reges quidem in celo sunt sancti, quia eos Deus in regalibus soliis se-

dere facit, regioque sua dignitatis et potestatis participes efficit. Reges sunt, quia cum Christo gloriose regnant, et in aeternum regnabunt. Reges sunt, quia prædiviti, immensi, aeterni eos Christus regni possessores facit, dicens: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi* (Matth. 25). Quam magna ergo esse debent bona, quibus in celo perfruuntur hi qui in celo reges sunt? Si divitiis, honoribus, omnibusque bonis affluere solent reges in hoc mundo; quanto majora sunt bona quæ Deus sanctis in celo regnantibus communicat! Si terrenis regibus, qui homines infirmi sunt, qui peccatis multis obnoxii, et qui ad omnia mala proclives sunt, tantas Deus in hoc mundo bona largiatur; quanta sunt illa bona quæ in celo communicat sanctis, qui amici ejus sunt, qui in statu gratiae confirmati, et qui ad coelestia sola sunt sublimati, ut aeterno et immenso hoc regno potantur? Maxima certe esse hac Paradisi bona quisque fatebitur; ac tanta, ut nec eorum magnitudinem concipere valeamus. Nescio, an hæc ratio placeat: cum tamen magna bona, quibus in hoc mundo reges, nonnunquam etiam impi fruuntur, revolv, non possum non intra me dicere, majora et ineffabilia esse bona, quibus fruuntur sancti, qui nunc in celo regnant et triumphant. Aliunde etiam celestium bonorum magnitudinem auspicio; ex bonis scilicet temporalibus, quæ non solum regibus, verum et omnibus hominibus Deus in hoc mundo conferre solet. Nonne propter nos homines immensam universi molem e nihilo eduxit? nonne propter nos homines, celos, astra, elementa, et omnia creata miro ordine dispositu? nonne aurum, argentum, ac quidquid in orbe pretiosius et amabilius inventur, ad nostros usus condidit? nonne dat nobis lucem ad videndum, sapores ad gustandum, aërem ad respirandum, sonos ad audiendum, fontes ad refrigerandum, herbas ad morbos nostros curandos, animafla et fructus ad suaviter vivendum? A Deo quidem hæc et innumera alia bona in hoc mundo habemus. Ex quo inferendum cum D. Augustino, quod si Deus tot et tanta nobis miseris in hoc mundo bona conferat, multo majora, et in infinitum majora bona sanctis in celo largiatur:

Si ergo pro hoc corpore corruptibili, tam magna et innumeræ beneficia præstat, qualia, quæsio, et quam magna erunt illa bona, quæ preparavit diligenter se, in cœlesti patria? Si tanta sint bona, quæ inimicis suis in hoc mundo viventibus tribuit; quanta sunt, quæ amici suis in celo triumphantibus confert? Si in hoc mundo, qui est tuguriolum Adami, ergastulum peccatorum, cævea brutorum, carcer et exilium mortaliū, tantis Deus bonis homines peccatores afficiat et recreet, quanta erunt bona quæ sanctis et amicis suis in celo, in palatio suo, et in gloriæ, nec non magnificentiae suæ loco impertinetur: *Si tanta facit nobis in carcere, quid aget in palatio?* Haud dubie, inquit Augustinus, bona illis confert majora quam dici possit: *procul dubio plus futurum est, quam dici possit.* Ex bonis temporalibus, quæ Deus, etiam peccatoribus in hoc mundo confert, facile conieicimus, magna esse bona, quæ sanctis suis in celo largitur; hoc autem melius, meo quidem iudicio, inferri potest ex spiritualibus bonis et deliciis, quibus amicos suos Deus in hoc mundo sepe reficit, et satiat. Nonne saepe viros pietate insignes in hoc mundo videmus, qui ita gaudio spirituali superabundant, etiam in tribulationibus, in mediis persecutionibus, et in ipsis suppliciis quæ patiuntur, ut omnia eis suavia, dulcia, et amabilia sint? Nonne viros multos sanctitate illustres videre est, qui tantis delibuti sunt spiritus deliciis, ac ita Deo pleni, ut rerum temporalium obliviscantur, proprii commodi semper sint inimici, amori proprio sint semper infensi, nilque aliud cogitent quam de Dei gloria; nihil desiderent, quam ut illi serviant; nec alia præterquam amoris divini flamma ardeant? nonne multi tanto interius affecti fuere gaudio, tanta letitia perfusi, tot internis consolationibus recreati, ut extra se rapti, et deliquium passi sint? hoc ita factum esse scimus; hoc demiramus: jamvero si recte ratiocinemur, ex hoc inferemus, maxima et infinita esse paradisi bona. Si etiam tantas Deus in hoc deserto dat delicias: quantas in aeternæ voluntatis loco dabit? si tam exquisitas in hac lacrymarum valle dulcedines suggerit; quid faciet in beatitudinis suæ regno? si tot gratias, tot voluntates, totque bona

spiritualia in hac solitudine et in hac Babylonie fornace hominibus impertitur; que et quanta erunt illa bona, que in celo amicis suis tribuet: *Quid erit in patria, si tanta est copia delectationis in via?* Magna quidem, maxima et incomprehensibilia sunt paradisi bona; eorumque magnitudinem duobus verbis mirum in modum, quantum potest, explicat Ezechiel propheta dicens, quod Deus in celo resideat, ibique se sanctis videndum et possidendum praebeat; *Dominus ibidem.* Cupit aliquis romanae civitatis glorias emarrire, ac ne dicendo succumbat, hoc tantum dicit: *Pontifex ibi est.* Ex quo cinque inferendum relinquit, magnam hanc esse civitatem, ingentes ejus esse divitias, omniaque ibi esse magna, cum inibi pontifex resideat. Similiter non melius explicari potest et probari, maxima esse paradisi bona, quam cum dicitur Deum ibi esse, ibique se sanctis videndum et possidendum exhibere: *Dominus ibidem.* Quis enim non fateatur magna ibi esse bona, ubi Deus est, qui est summum bonum, qui est omne bonum, qui est omnis boni bonum, cuius possessione sancti satiantur, inebriantur, præmiantur, et in æternum beatificantur? In celo sane magna, ineffabilia, et omnia sunt bona: quia ibi est omne bonum et ibi nullum deesse potest bonum, ubi Deus est. *Quid ibi deessesse potest, ubi Deus est?* (Aug. de spirit. et anim.). Ad cœlestem hanc patriam aspiremus, ad illam anhelemus, et huic mundi incolatum despicientes dissolvi cupiamus, ut cum Christo regnemus in paradiſo, ubi sunt bona maxima; *ac etiam bona pura, nulloque malo permixta.*

II PARS.

Paradisi bona sunt pura.

Mundi bona, misera, caduca, et amaritudinibus innumeris mixta sunt: nihil hic puri et sinceri, confusa omnia, nulla sine amaritudine voluptas; ubique luctus et gaudii, dulcis et amari mixtura reperitur. Qui abundat honoribus, nummis non abun-

dat; quidives est, ingenio et scientia sœpe caret: hic sapiens est, sed pusillanimis; iste magnanimus, sed imprudens: ille valetinus est robustæ, at ignobilis famæ; alius est eruditus at semper ægrotus; alius est sannus, sed ignarus. Sit etiam aliquis, qui sapientia, prudentia, scientia, magnanimitate, et aliis omnibus præclarissimis animi dotibus fulgeat, hic in terris diu vivere non poterit, quin a frigore, a calore, a pluvia, a grandine, a rerum penuria, ab invidis, ab hostibus, ab infirmitatibus, a passionibus, ab intus mordente conscientia, vel ab alio aliquo quidquam mali et sinistri patiatur, eo quod in hoc mundo sint bona mixta malis, gaudia gemitibus sint temperata, mel felli affusum sit. Ibi diei nox, hyems aestati, bono malum, probis improbi insidunt, mixtumque mala cum bonis fluere solent. In celo autem nulla talis mixtio, nulla ibi mala bona permiscuntur; ibi felicitas pura, gaudia pura, et omnia bona pura sine ulla doloris, tristitiae et mali admixtione: ut enim ait S. Johannes Evangelista, ibi Deus absterget omnem lacrymam ab oculis sanctorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clara, neque dolor erit ultra (Apoc. 21, 4). De ratione beatitudinis est, ut omnia in ea sint bona, nilque mali in ea reperiatur. *Beatoitudo est, ubi nihil sit quod nolis, et ubi totum sit quod velis* (Bern.). Bona volumus, ibi sunt omnia bona; mala nolumus, ibi nullum est malum; omnia ibi sunt bona pura, sine ulla mali mixtura. In celo non fames, non sitis, non gelu, non aestus craciat: nihil laboris, nihil fatigationis, nihil mororis, aut doloris illic est; curæ omnes, paupertas omnis, omnis dolor, et omnia adversa a celo procul eliminantur; inde calumniae, inde insidiae, inde morbi, inde mortes arcentur; ibi tandem nullum est malum, nullumque ibi reperiri potest ex malis, quæ in hoc mundo aversamur, nolumus et horremus, *nihil ibi est quod nolis.* Quin contra ibi sunt omnia bona, eaque ita pura, ut nihil mali permixtum habeant, ibi enim scientia sine errore, sanitas sine defectu, dignitas sine timore, abundantia sine indigentia, festivitas sine mœstitia, pax sine dissidio, pulchritudo sine macula, virtus sine vito et sine adversario; vel ut verbis utar divi Augustini < in celo non est

paupertatis metus, non aegritudinis imbecillitas, nemo laeditur, irascitur nemo, nemo invidet, cupiditas nulla exardescit, nullum cibi desiderium, nulla honoris pulsatio, aut potestatis ambition; nullus ibi diaboli metus, insidie daemonum nulla, terror gehennæ procul, mors ibi neque corporis, neque animæ erit; sed immortalitas munere vita implenda ». O felicem patriam in qua omnia bona, et in qua nulla sunt mala! o regnum summis affectibus appetendum, in quo omnis felicitas, omnis prosperitas, et omnia prorsus bona reperiuntur sine ulla vel minimi mali admixtione. Infernus est quasi summarium et epitome omnium malorum. Quidquid uspiam acerbum, lacrymabile, et horrificum est, apud inferos sentitur; nec inter tot dolores totque mala, quæ ibi damnati perferunt, aliquod unquam vel minimum levamen aut solatium percipiunt. Plutonis portæ omnes occulse sunt solatiis, omnes ibi aditus vel minimis levamentis sunt intercepti; ibi damnati nihil refrigerationis, auxiliï nihil, nihil solatii, nec e coelo, nec e terra, nec a Deo, nec a creaturis expectant; omnia ibi patiuntur mala sine ullius admixtione boni. O horrendam regionem! formidandum solum, in quo omnia sunt mala, et ita pura, ut in eo nil voluptatis, nil delectationis, nilque boni inveniatur. Econtra, o quam amabilis et desiderabilis paradisus, in quo omnia sunt bona, et ita pura, ut nil mali permixtum ibi reperiatur! O chara et dilecta civitas, a qua omnis dolor, metus omnis, et omnia mala in æternum exterminata sunt! o pulchra et beata patria, ubi torrentes sunt deliciarum, qui tamen diuturno usu nullum unquam pariunt fastidium! ubi continua est mannae caelestis pluvia quæ nunquam nauseam parit! ibi sumptuosa et regia convivia, quæ nullus unquam morbos generant; ibi ineffabilibus quisque gaudet honoribus, nec unquam per invidiam turbatur; ibi amicos fideles quisque habet, quorum amor est immutabilis, et quorum fidelitas inviolata; ibi immensi dixitiarum thesauri, qui possessores suos non exceant, nec ad illicita trahunt; ibi tandem omnis beatitudinis regnum, ubi omnia bona, nullo permixta malo, reperiuntur: *O regnum beatitudinis sempiternæ, ubi juventus numquam senescit, ubi decor num-*

quam pollescit, ubi amor numquam tepescit, ubi sanitas numquam marcescit, ubi gaudium numquam decrescit, ubi dolor numquam sentitur, ubi gemitus numquam auditur, ubi triste nihil videtur, ubi letitia semper habetur, et malum nullum timetur, quoniam ibi summum bonum possidetur (August. Solil. 35). Nullus in paradiſo dolor, tristitia nulla est: *quoniam ibi summum bonum possidetur*. Possessio enim Dei, qui est summum bonum, omnem tollit dolorem, malum, omne excludit: nec fieri potest, ut tristitia aliqua afficiantur qui summum bonum vident, et videndo possident, cum ipse a evidentibus se absterget omnem lacrymam, omne malum expellat. Qui Deum in celo possident, summa gaudiorum et voluptatum abundantia cumulantur, ac ineffabili letitia adimplentur: *adimplebis me lætitia cum vultu tuo* (Psal. 15). Ubi autem letitiae plenitudo, ibi nullus potest esse dolor, moror nullus, tristitia nulla, nullaque mali permixtio. Qui Deum in celo possident, tanta bonorum coelestium abundantia replentur, ut iis satientur, et quasi inebriventur: *Satiabor cum apparuerit gloria tua. Inebriabuntur ab ubertate domus tue* (Ps. 35). Hæc autem satietas, et hec ebrietas nullum adferunt tedium, fatigationem, et nauseam nullam, post decies, post centies, post millies annorum millia tam recens, tamque suavis erit voluptas coeli, quam fuit primo omnium quadrante, et ad prium paradisi ingressum. Jam a paradiſo omne tedium, fastidium omne, omnis dolor, omnisque corporis et animi molestia penitus excluditur, et in æternum excludetur, quia nullus dolor, tristitia nulla, nullaque mali permixtio est, et esse potest, ubi Deus, qui est summum bonum, perfecte possidetur: *quoniam ibi summum bonum possidetur*. Qui in hoc mundo feliciores censemur, replentur bonis et malis, dulcibus et amaris, melle et felle: gaudia eorum miscentur lacrymis, et risus suspiriis. Apud colites omnium bonorum est satietas perfectissima, hi nullis vel minimis malis afficiuntur, omnibus replentur bonis, ita ut nihil voluptatis, nihil dixitiarum excogitari possit, quo non replentur, *replebitur in bonis domus tue*. Unde si vel omnium beatorum infimum interrogemus; ac ab eo petamus,

num aliquid sinistri patiatur? num colestibus bonis repleatur? respondebit haud dubie, quod quilibet ex sanctis Deum intuitive videat, ardenter amet, ac per visionem et amorem illum possideat, ejusque possessione ita beatus flat, ut omnibus quæ optare potest bonis repleatur, nec aliquid mali, vel adversi pati possit. O quam magna, o quam pura sunt paradisi bona! quis non ambiat illuc pervenire, ubi omnia bona sine ulla mali admixtione inveniuntur? Heu! si in hoc mundo, ubi fames, ubi sitis, ubi morbi, ubi mortes, et innumeris nos circumdant mala, si in hoc mundo, ubi suavissimas voluptates tandem amarescent et exprirant, multi vivere desiderant; quanto magis ad celestem patriam anhelare debemus? quanto magis aspirare quisque debet ad paradisum, ubi omnia bona sine defectu et sine ulla mali mixtura quiske possebit. Quid non facere, quid non pati debemus, ut tanta et tam pura celi bona obtineamus? quid enim non faciunt, quid non moluntur, quid non patiuntur homines, ut vana, ludicra et momentanea sæculi bona acquirant? et nos nihil agere, nil pati vellimus ad colii bona comparanda? certe si sapiamus, nihil non faciemus, nullumque laborem recusabimus, ut Paradisi bona obtinere valeamus. Medis in doloribus dicerò solitus erat Seraphicus Pater Franciscus: *tanta est gloria quæ me expectat, ut omnis pena me delectet.* Jejunare, vigilias prostrahere, asseri indomire, flagris et caumeniis corpus domare, probra et calumnias devorare, ac omnia mortificationis genus perferre, res ei erat suavissima, cum inspiciebat immense et purissima celi bona, qua in mercede sibi dari expectabat. O Fratres, strenue similiter laboremus, nullus nos labor terreat, generose suscipiamus quidquid durum, quidquid asperum in virtutis via reperitur, ut ad paradisum aliquando perveniamus, ubi magnis et puris perfruemur bonis, non ad tempus, sed in æternum, quia *haec bona æterna sunt.*

III PARS.

Paradisi bona sunt æterna.

*A*ternitate omnia bona fiunt meliora; bonum enim, quo magis durat, eo melius censetur, et bonum quod in aeternum durat æterna hac duratione infinite melius efficitur. Voluptas unius diei a multis magnum bonum creditur; si sit unius hebdomadæ, pluris aestimatur; si unius anni, pluris adhuc penditur, et multo pluris, si sit centum, vel mille annorum, quia bona fiunt duratione majora, ac proinde infinita et interminabili duratione, fiunt infinita. Ratio durationis æternæ dat eis aliquem characterem infinitatis, factique ut bona, quæ ex se erant modo finito bona, infinita bona fiunt. Ergo ut altiorem celestium bonorum ideam mentibus vestris ingeram, ea æterna esse dico. Quod aperte docet sacra Scriptura, cum paradisum vocat regnum, cuius nullus erit finis quodque in æterna secula durabit: *et regni eius non erit finis. Regnum tuum regnum omnium sæculorum* (Psal. 144, 13). Illud regnum non destruetur, sicut omnia hujus mundi regna, sed in aeternum stabit, et in eo sancti regnabunt, non solum tot annorum millibus, quot sunt stellæ in celo; non solum tot centenis annorum millibus et millionibus, quot sunt in mari aquarum guttae, sed in aeternum Deo fruenter, et in aeternum omnia prorsus bona possidebunt: *regnum tuum, regnum omnium sæculorum.* Huius mundi regna sunt aliquorum sæculorum regna, quia perpetua vicissitudini subjiciuntur, incipiunt usq[ue] desinant, florent ut cito areant, nascuntur ut brevi pereant; paradisus est *regnum omnium sæculorum*, quod perpetua stabilitate firmatur. Nullus ibi occasus, nulla ruina, ibi iam sancti immensa possident bona, et ea ibi in aeternum possidebunt. Licit paradisus et infernus multis in rebus disconveniant, convenient tamen ratione aeternitatis, quia sicut in inferno supplicia sunt æterna, ita et in paradyso æterna sunt bona et gaudia, quibus sancti fruuntur: *ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam* (Matt. 25). Felices se proclaimarent damnati si scirent

post millia millionum annorum finem habituuras suas poenas, beatos se censerent, si certi essent, post millia millionum ac millionum annorum aliquantulum minuenda sua supplicia; verum hac nullatenus gaudent consolatione et felicitate, cum ipsis certo constet, quod quandiu Dei justitia perdurabit, tamdiu durabunt poena, quodque aeternis suppliciis sine ulla diminutione cruciabantur: *ibunt hi in supplicium aeternum.* O quam terribile est in Dei manus incedere! quam formidanda est hæc pomarum aeternitas! quam infelices, qui aeternis his inferni suppliciis addicti sunt! vicissim o quam felices sunt sancti qui in celo regnant: felices sunt, quia ineffabilibus fruuntur bonis, adhuc feliores, quia iis in aeternum fruuntur: *justi autem in vitam aeternam.* Paradisus est haereditas, ad quem possidentem sanctos suos Deus vocat: atque ut ait S. Petrus, haec haereditas, quia Deus sanctos suis dedit, est incontaminata, incorruptibilis et immarcescibilis: *in hereditatem incorruptibilem et incontaminatam, et immarcescibilem.* Haereditas hæc est incontaminata, quia nihil admittit immundi; est incorruptibilis, quia nec desinere, nec perdi potest; est immarcescibilis, quia nec defloscere potest, nec immuni, sed in aeternum eadem perseverabit. Hanc omnium bonorum haereditatem in celo sancti possident, et in aeternum possidebunt: *repromissionem accipient, qui vocati sunt, aeternæ haereditatis* (Hebr. 9, 15). Paradisum D. Bernardinus vocat *cellarium gloriae;* non solum quia ibi Deus sanctos suos gloria et honore coronat; verum et quia eis ibi glorie sue divitias ostendit, ibique eos multis gloriae titulis insignit, et omnis gloria ubertate replet. Quia enim sancti in hoc mundo modicum quid pro Dei gloria passi sunt, eos in celo Deus omni gloria et honore afficit, et quia in hoc mundo momentaneam quamdam tribulationem pro Dei gloria pertulerunt, eos Deus in paradiso perpetua et in aeternum permanente gloria cumulat, *id enim quod in presenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate aeternum glorie pondus operatur in nobis* (2. Cor. 4, 17). Beatitudo celestis crebro in sacra Scriptura vocatur vita, vita beata, et vita aeterna. Vita

dicitur, eo quod omnis beatitudo, colesti comparata, mors et miseria potius sit nuncupanda, quam vita. *Vita beata* appellatur, quia ibi jucunditas sine moere, unitas sine divisione, satietas sine fastidio, dignitas sine humiliatione, pax sine perturbatione, et omne bonum sine ulla dolorum, afflictionum et malorum admixtione. *Vita tandem aeterna* vocatur, quia sancti in paradyso in aeternum vivent, et omnibus bonis præfuerunt: *justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum.* Aeternam esse celestem beatitudinem, et aeterna esse bona, quibus sancti in paradyso gaudent, probat Doctor Angelicus ex communi ratione beatitudinis, *quæ est bonum perfectum, quod desiderium hominis quietat:* si autem amitti posset beatitudo, et si bona ejus non essent perpetua, non quietaret sanctorum animos; quin contra timore amittendi suam beatitudinem et bona qua possident, continue anxiarentur: et ideo pro certo habendum, aeternam esse beatitudinem, et aeterna esse bona, quibus sancti in celo gaudent. Nonne itaque hæc bona sunt summo affectu appetenda, et ad ea totis conatus anhelandum? Sanctus Chrysostomus, ut nos ad appetenda aeterna excitet, temporalium bonorum volubilitatem, incostantiam, et fugacitatem nobis proponit. *Fluxa,* inquit, et caduca est hominum natura. *Juventus properat ad senectutem, pulchritudo ad deformitatem, vires ad imbecillitatem, honor ad contemptum; sanitas ruit ad morbum, gloria ad vilitatem, divitiae ad paupertatem.* Res nostræ sunt similes vehementi fluento, quod nunquam vult consistere, sed fertur festinans ad declive. Et alibi os illud aureum, aurea semper verba proferens, ait mundanam felicitatem nihil habere stabile neque firmum. Quod exemplis passim obviis, nec parum vulgaribus confirmat dicens; « An non videmus sape, quod est quem hodie precedunt lictores, et stipant satellites, cras in carcерem coniicitur, et cum malefactoribus versatur? quid hac vana et inani gloria fallaciis? quod si in hac vita vicissitudinem illam evadit, omnino mors veniens felicitatem resecabit. Qui hodie super thronum sedebat, et homines alios quasi umbras despiciebat, is subito postea jacebit mortuus absque spiritu, fætulentus, petitus innu-

meris convicciis. Quid hoc miserabilius esse potest? ». Miserabilia quidem, inania, fluxa, et transitoria sunt omnia mundi bona; et tamen ea ardenter appetimus, ad ea suspiramus, iis toto corde adhæremus. Eja quanto magis ad paradisi bona, que magna, pura et æterna sunt anhelare debemus? quanto magis pro istis acquirendis laborare debemus et insudare? *Voluntas* inquit D. Augustinus, *quanto est avidior temporalium bonorum, tanto est inanior æternorum*. Non ergo temporalium bonorum sis avidus; futilia et caduca illa bona despice, contemne, ac pro nihil reputa, totisque cordis medullis ad magna, pura, et æterna paradisi bona aspira, et pro illis acquirendis sollicitate labora. Heu! si arator fert pondus diei et aestus, noctes insomnes dicit, totoque anni circulo duris incumbit laboribus, ut tenuem tempore suo messum colligat; si mercator totam lustriat Europam, ut aurum, argentum, margaritas, aroma, aliaque parvi momenti bona comparare valeat; si miles cum evidenti vite sue descrimine ad certamen descendat, ut tantillum inanis gloriola ventum hauriat, quanto majori conatu militare, et labore debemus, ut immensam coeli gloriae magnaque et æternae Paradisi bona acquiramus? ad eis quidem anhelandum, pro iis laborandum. Heu! tamen quam pauci pro immensis et ætermis bonis acquirendis sedulo laborant! Dic, queso, quos pro coelo labores subis? quibus pentenitiae operibus incumbis? quantum inediae et famis toleras? quid somno demis? a quibus abstines deliciis? quot nocturnis horis orationi vacas? quam severe carnem maceras? quantis rigoribus petulantiam carnis coérces? quantum lacrymarum ad delenda peccata fundis? quid agis, quid sustines, quid suscidis ut paradisi bona obtineas? Te tuamque scrutare conscientiam, et apparebit, quod pro coelo parum labores, et forte, quod pro illo assequendo nihil facias. Erubescere, quot tanto affectu terrena prosequaris, tamque sis frigidus circa coelestia. Tuum execute torporem, caduca seculi contemne bona, coelestia appete, quidquid ab istis assequendis impedit vel retardare potest, abjice, quidquid ad ea comparanda prodesse potest, amplectere, dabitque Deus gratiam, cuius auxilio illa assequeris. *Amen.*

FERIA II POST DOMINICAM SECUNDAM.

DE ÆTERNITATE PŒNARUM INFERNI.

In peccato vestro moriemini (Joan. 8, 21).

Timor et amor sunt duae cordis humani passiones, quibus uti solet Deus ad homines avertendos a malo et in bono promovendos. Amor est passio quadam nobilis, qua ad benefacendum, et ad proficiendum in via virtutis suavitatem allicient generosi, et bonae indolis viri: timor vero est passio quedam vilis, qua ad declinandum a malo compelluntur etiam obdurate et rebellies quibus peccatores. Et ideo D. Augustinus (ep. 5 ad Bonif.) air amoris proprium esse quod homines ad altiores sublimioris perfectionis gradus elevat; timoris vero, quod homines a peccatis retrahat: *sicut sunt meliores quos dirigit amor: ita plures sunt quos corrigit timor*. Amoris et timoris motiva multa hominibus praebuit Christus; et licet in hunc mundum venerit, ut amoris sacri igne totum orbem incendet: homines tamen sepiissime territavit, nunc mortem imminere nuntians, nunc terribilis esse Dei iudicia asserens, nunc formidanda inferni supplicia objiciens. In hodierno autem Evangelio novum nobis proponitur timoris incentivum, æternitatis sedilect pœnarum inferni. Cum enim Christus Iudeis ait, quod in peccato suo morientur, *in peccato vestro moriemini*, idem est ac si eos in æternum morituros dicat: quia in peccato mori, et in æternum mori, æternisque suppliciis addicti, unum et idem esse videntur, aut saltem unum ex alio necessario sequitur. De hac pœnarum inferni æternitate jam dicturi sumus. *Ave.*

Æternitatem pœnarum inferni qui non credit, infidelis est; qui non pertimescit, est induratus; et qui eam vitare non nititur, stupidus est et insanus. Certum quidem, quod si a christianis hominibus queratur, an pœnarum æternitatem credant, timeant, et vitare intendant, non est qui non respondeat: